



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Cautela Confessarii Pro Foro Sacramentali Occasione  
Decretorum S. M. Alex. VII. Innoc. XI. Et Alexandri VIII. ...**

**Matthaeucci, Augustín**

**Francofurti Ad Moenum, 1711**

§. II. De impedimentis matrimonii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40684**

## §. II.

*De impedimentis Matrimonii.*

15. **I**mpedimenta Matrimonii alia sunt, quae impediunt utique, ne Matrimonium licite contrahatur, at, ubi contractum est, illud non irritant, aut dirimunt; & haec dicuntur impedimenta independentia tantum: Quae sequentibus continentur.

*Ecclesia vetitum, tempus feriatum. Atque Catechismus, sponsalia, iungito votum.*

*Impediunt fieri, permittunt facta teneri.*

16. Et alia, quae, non modo Matrimonium contrahendum impediunt, sed etiam, cum illis postea contractum, dirimunt: Quae vocantur impedimenta dirimentia: Hisque soleat exprimi verbis.

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen.*

*Cultus disparitas, vis, ardo, ligamen, honestas.*

*Si sis affinis, si forte coire nequibus.*

Post Trid. cap. 1. de refor. Matrim. est adjectum, illud defectus praesentiae Parochi, & duorum testium; & cap. 6. raptus.

*Si Parochi, & duplicis desit praesentia testis.*

*Raptave si Mulier, nec parci reddatuta.*

## §. III.

*De impedimentis merè impediuntibus.*

17. **P**er Ecclesiam vetitum, intelligitur prohibitio, saltem ad tempus,

qua Pontifex, Episcopus, vel etiam Parochus, Matrimonium iustis de causis, sub peccato ad vitandas rixas, scandalum, &c. celebrari vetant.

18. *Tempus feriatum*, significat prohibitionem, qua Ecclesia vetat, ne certis quibusdam temporibus solemnitates Matrimonii celebrentur. Trid. sess. cit. cap. 10. ubi: *Ab Adventu Domini Nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniae: & à feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschatis inclusive: Antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ad omnibus observari S. Synodus praecipit.*

19. *Catechismus*, indicat impedimentum, quod contrahitur, ex quo quis loco baptizati respondeat ad interrogationes, quae regulariter fiunt in collatione baptismi solemniter. Verum hoc impedimentum, asseritur à Doctoribus esse à Trident. sublatum, sed vide dicta supra cap. 2. num. 8.

20. *Sponsalia, sunt mutua, voluntaria, & libera promissio futuri Matrimonii.* Ceterum, dum Petrus promittit ducere Bertam, haec non modo debet acceptare, & gratias agere, verum etiam debet Petro repromittere, ut sponsalia inter ipsos sint. Et tunc promissio est onerosa, facio, ut facias. Sponsalia ex jure naturali habent vim obligandi; nam, qui promittit, jus praebet alteri exigendi, quod ille promissit. Nec solum obligant ex fidelitate, qua fit id, quod dicitur, sed ex eis nascitur etiam obligatio ex iustitia, sicut in ceteris contractibus onerosis: quare, qui, celebratis Sponsalibus cum una, aliam ducit, mortaliter peccat, quia non implet promissionem

(Aaa aa) 3 nena